

homo initio sit conditus, atq; in hoc augustissimum mundi theatrum productus: quæ fuerit originalis nostra præstantia; quanta felicitas, quomodo astu Satana eâ exciderimus, quæ causa, qui fons tanta prauitatis ac miserie humanæ: quæ prima concio gratiæ & reconciliationis cum Deo, quæ miserum peccatorem in lapsu ipse Filius Dei erexit, quæ & ubi & qualis fuerit prima Ecclesia, quam sibi Filius Dei per vocem Patriarcharum colligere cœpit in mundo: quomodo hanc in diluuiio ad octo redactam homines seruauerit: amplificauerit, mirandis potentia ac præsentia sua exemplis illustrem fecerit: quomodo, & per quos gubernauerit: qualis eius forma, quæ cultus ratio, quæ fuerint pietatis & obedientiæ præmia, quæ pœnæ cõtumacium, &c. Hæc, & id genus alia, solus certe Moses nobis prodidit. Et uero hæc probe cognita, semperq; in conspectu habere plurimum interest, ut immensam Dei bonitatem, & nostram contra ingratitude agnoscentes, nos coram Deo humiliemus: in periculis uel paucitate Ecclesiæ fiducia promissionum diuinarum & exemplorum intuitu nos erigamus: contemptum Dei & securitatem tanquam exitialissimam pestem semper caueamus, & quanto nostra nunc sit melior, quam fuerit patrum, conditio considerantes, pro tantis beneficiis Deo gratissimus.

Querunt hoc loco curiosi, unde Moses ea, quæ de ortu rerum, deq; iis, quæ dudum ante se gesta primo libro est complexus, didicerit, cum nec gesta uiderit, nec ab aliis descripta legere potuerit? Et si autem hoc explicare alterius sit loci; nunc tamen nos uicissim ex istis queramus, unde Moses scire potuerit ea, quæ de Christo & de eius regno, de gentium uocatione, de successibus duodecim tribuum, & de aliis multis post complendis prædixit, quorum ueritas certissimo euentu tandem fuit comprobata? Dicent haud dubie, sciuisse, quia fatidico spiritu diuinitus fuit instructus. Imo queramus, unde omnia ea acceperit, quæ de lege, de cultu, de politia & Ecclesiæ Israeliticæ forma quatuor posterioribus libris descripsit? Et hæc, dicent, eum didicisse à Deo, qui ei, tanquam fideli seruo suo locutus est ore ad os, & exemplar omnium ostendit in monte. Qui igitur res cœlestes immediata patefactione accepit à Deo, & futuras ab omni humano sensu absconditas afflatu Spiritus Dei discere potuit: quidni eiusdem Spiritus magisterio, quid ante se gestum esset, cognoscere potuerit? Audi Augustinum, quid respondeat hoc querentibus: Nunquid nam ibi fuit iste propheta, quando fecit Deus cœlum & terram? Non, inquit, sed ibi fuit sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quæ in animas etiam sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit, eisq; opera sua sine strepitu intus enarrat. Loquuntur quoq; eis sancti angeli Dei, qui semper uident faciem Patris, uoluntatemq; eius, quibus ipsi annuntiant.

Sed nec forte necesse est ad reuelationes diuinas decurrere. Non uidit Moses, quæ scripsit, fateor; nec didicit lectione; neq; de hoc contendo: quanquam non desint uiri doctissimi, qui arbitrentur, Adam, Noah, Abraham, aliosq; Patres res suorum temporum descripsisse, quas postea Moses diuini Spiritus afflatu collectas digesserit in librum, qui Genesis uocatur: unde forte & illud Enochi fragmentum est reliquum, quod Iudas Epistola sua inseruit. Sed hoc mitto.

B a

Non

Vnde Moses  
historiam  
Genesis  
cognouit.

Aug. de Ciu.  
Dei, lib. 11.  
c. 4.